



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 6. Lingua Belgarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

enim aliud nostræ narrant historiæ, quâm Flandrorum cōtra Principes suos contumaciam? Habebant ergo Principem Clientem Regis Francorum; quod ius demū ab Francisco I. captiuo per vim extorsit Carolus V. Imperator cui hereditario iure Belgium obuenierat. Porrò sub Carolo non processerunt malè res Belgij, sed rerum potente Philippo II. eius filio, Margarita Austriaca hīc Rempublicam administrat, res turbari cœperūt. Hæc enim volebat inducere decreta Sacro-Sanctæ Synodi Tridétinæ; sed restitere acri-ter Lutherani atq; Caluinistæ, uno nomine dicti Geusij *les Geux de Flandre*. Hi enim non contenti verbis insectari Catholicos, etiam imagines deicere, disturbare templa, Antuerpiæ, & aliquot in locis. Dux tamen Albanus eò missus rem Catholicam restituit. Sed dum seuerius in rebelles animaduertit, nouisque exactionibus Prouinciam videtur exhaurire, vexillum rebellionis est sublatum Arausiano principe belli incentore atque Duce. Missus eò Ioannes Austriacus rem componere potuisset, nisi ab eo Rex Hispanus sibi cauisset. Tantùm ergo abfuit, ut rebelles reconciliaret Principi, quin etiam exoriretur noua factio, *dicta des Malcontents*, quæ nec Hispanis, neque Statibus fauebat. Eo demortuo Dux Parmensis satis feliciter Hispanorum negotia promouit, sed dum rebelles vrget acrius anno 1581. ad defectionem impulit, quâ Regem Hispaniæ Principem suum ciurauere, vnde bella enata, quæ tantâ circumpositorum gentium contentionе etiamnum geruntur. Hinc orta diuisio Belgij in Status Hollandicos, & Hispanicam ditionem; de quibus mox agemus.

#### §. 6. Lingua Belgarum.

BILINGVES Belgæ, vnde orta diuisio Flandriæ in Gallicam, & Teutonicam. Flandrica dialectus parum à Germanicâ differt; Gallicam, Walonicam vocant *le Wallon*, quæ à Picardicâ parum dissidet, nisi quod adhuc sit inquinatior.

#### §. 7. Religio Belgarum.

VBI seruata est Catholica Religio, nihil Belgis magis pium, vbi abolita nihil à pietate alienum magis. In Hispanicâ ditione Catholici omnes: apud Batauos omnes sectæ tolerantur præter ve-